

REFORMATIO

C L E R I G E R M A N I A E A D

correctionē uitæ & morum, ac ad

remouendos abusus.

*Per Reuerendiss. in CHRISTO patrem, & do-
minum D. Laurentium, tunc S.R.Ecclesie TT.
sanctæ Anastasiæ presbyterum, nunc Sabinen-
sem episcopum, Cardinalem, Ad nationem Ger-
manicam, sedis Apostolicæ de latere Legatum
Ratisponæ ædita.*

STATUTA Synodalia Reuerend. in CHRISTO pa-
tris, & domini, D. Valentini Episcopi Hildesheimi.

FORMULA viuendi Canonorum, Vicariorum, & alio-
rum presbyterorum secularium.

*



L V G D V N I,

S V B S C V T O C O L O N I E N S I .

A N N O M. D. X L I I I .

S. LAURENTIVS

MISERATIONE DIVINA TITV.

Hi S. Anastasiæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter
Cardinalis, per vniuersam Germaniam, ac Hunga-
riæ & Bohemiæ, Poloniæ regna, & quæcunq;
alia loca, ad quæ nos declinare contigerit domini
nostrî Papæ, & apostolicæ sedis Legatus, ad perpe-
tuam rei memoriam.



X Legationis officio à sede apostolica no-
bis cōmissio obligamur, vt circa statum per-
sonarum ecclesiasticarum sub finibus nostræ
legationis consistentium in melius reducen-
dum propensius cogitemus, vt quæ in eis à
sanctorum patrum decretis & ordinatione
deuiare perpendimus, ad debitam reformationis normam di-
rigentes, eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper si-
quidem cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa V I I.
cum pro pastorali suo officio, tum pro ea affectione, qua incly-
tam nationem Germanicam paternè prosequitur, intellectis
eius fluctuationibus, hæreticorumq; impietate indies crescen-
te, nos ad vniuersam Germaniam suum & apostolicæ sedis Le-
gatum de latere miserit, non aliam ob causam, quam vt tran-
quillitati prouinciarum, & saluti animarum, quæ periclitantur ob
dictam nuper natam impurissimâ omnis hæreseos sentinam,
consulat. Quod onus licet humeris nostris impat, eius tamen
præceptis & mādatis obedire (vt tenemur) volentes, freti Chri-
sti fauore, seruatoris nostri (cuius negotium agitur) subiui-
mus. Nihil hic prorsus nostris viribus tribuētes, aut præterea
cupientes, quam quod ad munus hoc feliciter implendum atti-
neat. Cumq; aliquot mensium experientia multa collapsa, &
præter omnem opinionem difficultatibus plena perpenderi-
mus, cum serenissimo Ferdinando, Hispaniarum principe, ar-
chiduce Austriae, Imperiali locumtenente generali, communi-
catis consilijs, cōcordi sententia particularem conuentum in
ciuitate Ratisponæ conuocare decreuimus, In quo vnâ no-
biscum interfuerunt præfatus serenissimus princeps & archi-
dux, Reueren. Matthæus S. Romanæ ecclesiæ tituli sancti An-
geli

suo arbitrio quisque præ decorum status sui & viuit & degit. Cæterum cum modernus seculariū canonicorum status sit animarum periculis plenus, & à statu gratiæ plurimū elongatus, ideo valde consultum esse videtur, vnicuiq; seculari canonico desideranti in ea vocatione qua vocatus est (hoc est in ecclesia illa, in qua præbendatus est permanere, & animā suam saluam facere) vt supradictam viuendi formulā diligenter attendat, ac iuxta possibilitatem suam ad practicam ponat & obseruet. Est enim debito seculariū canonicorum statui, prout præsentis patitur qualitas temporis optimè cōueniens. Portò etiā cæteri seculares clerici, præcipue vicarij alijq; presbyteri & in fabris constituti, eandē regulā vel formulā animaduertāt. Nam & ipsi in ea modum viuendi tibi cōgruum descriptum habent.

FINIS.

L V G D V N I,
EXCVDEBANT IOANNES ET
FRANCISCVS FREL=
LONII,
FRATRES.

M. D. XLIII.

